

instit., ibi : « Si ita hæres institutus sum ; si decem dederò : et accipere nolit, cui dare jussus sum, pro impleta conditione habetur. »

6. Sic pariter, si servo in testamento legatur libertas conditione, « si hæredi decem sestertia pendat, » et servus ea hæredi offerat, hæres autem, cujus interest servo non privari, illa non acceptet, perinde liber evadit, ac si acceptasset hæres, et conditio fuisset impleta, quia per eum non stetit, quominus conditio adimpleretur l. fin., ff. de Condition. instit.

7. Sic etiam, si quis cum altero contrahit, et promittit dare eidem decem, si ascendat in Capitolium, et per promissorem stat, quominus alter ascendat, utpote impeditus ab illo, conditio habetur pro impleta, et decem debentur. Dyn. hic, n. 1, l. In jure, 164, ff. de Reg. jur., ibi : « Quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cum per promissorem factum esset, quominus stipulator conditioni pareret. »

8. *Solvuntur objectiones juris.* — Objicies primo, l. Cum quidem, 7. C. de Condition. insert., ubi expresse habetur, quod, si servo legatur libertas sub hac conditione, ut tot vel tot solvat hæredi, servus evadat liber, si conditionem impleturus ad hæredem properavit, « sed in medio latronum, et hostium incursione, vel alio fortuito casu peremptum est, quod portabat ; » cui subjungitur : « Ex quacunque igitur causa impediatur, sive per hæredem, sive per eum, cui dare aliquid jussus est ; sive per fortuitos casus, in libertatem perveniat. » Ergo regula non tantum est intelligenda de casibus, in quibus conditionem adimplere volens impeditur ab eo, cujus interest, conditionem non impleri : sed etiam, si ex alia quacunque causa, vel casu fortuito impeditur, quod est contra supra dicta n. 3. Resp. negando consequentiam ; quia etsi ex quacunque causa impedito implere conditionem vi dictæ legis attribuatur libertas, tamen conditio non habetur pro impleta, cum eandem, etiam secuta jam libertate, adhuc adimplere per dictam legem cogatur ; ibi : « In libertatem quidem ipse omnino perveniat, nisi ipse servus noluerit adimplere conditionem : obnoxius tamen constituatur, post libertatem hæredi, vel ei, cui dare aliquid jussus est, (nisi et ipse oblatu pecunias non susceperit ; quod enim semel repudiatum ab eo est, reintegrari minime concedimus) quatenus hoc, quod

dare jussus est, omni modo implere compellatur. »

9. *Objicies secundo.* Si quis Caio legat mille ea cum conditione, si filiam ejus ducat, et filia ante nuptias moriatur, nil debetur Caio, etsi per eum non steterit, quominus conditio fuerit adimpleta, l. Legatum, 4. C. de Condition. insert., ibi : « Legatum, sive fideicommissum a patruo tuo relictum tibi sub conditione, si filio ejus nupsisses ; cum, mortuo filio, priusquam matrimonium cum ipso contraheretur, conditio defecerit, nulla ratione deberi tibi existimas. » Ergo non semper conditio habetur pro impleta, quando non stat per eum, ad quem pertinet, quominus impleatur. Resp. hanc legem minime obesse regulæ nostræ, tum quia non loquitur de casu aliquo, quo conditionem implere volens impeditur ab eo, cujus interest, conditionem non impleri : de cujusmodi tamen casibus solummodo intelligenda est regula per dicta n. 3 ; tum quia casus in lege positus, est unus inter illos, in quibus apponens conditionem absolute vel præsumitur, ut adimpleatur, eaque ob quameunque causam non impleta, conditionate promissum non valeat ; in cujusmodi casibus regulam locum non habere extra controversiam est.

REGULA LXVII.

QUOD ALICUI SUO NON LICET NOMINE, NEC ALIENO LICEBIT.

1. *Regula unde?* — Desumpta videtur hæc regula ex l. Non utique, 2, § 1, ff. de Administrat. rerum ad civitat. pertin., ibi : « Quod quis suo nomine exercere prohibetur, id nec per subjectam personam agere debet, » et can. Sicut non suo, 10, dist. 46.

2. *Regula in duplici sensu intelligi potest.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda. Et quivis verus illius sensus sit? Resp. I, hanc regulam in duplici sensu procedere, et intelligi posse ; et quidem primo taliter : quod alicui suo nomine in propria persona facere non licet, nec alieno, id est, nec per aliam seu per substitutum eidem licebit. Secundo ita : quod quis suo nomine, seu pro seipso licite facere non potest, id neque alieno nomine id est, nec pro alio poterit. Exempla utriusque sensus passim habentur in jure : et procedit potissimum de maleficiis, seu delictis, non tantum jure divino et naturali, sed etiam humano prohi-

bitis. Sic v. g. quia non licet mihi nomine meo, et in propria persona innocentem occidere, vel furtum, aut usuram committere : ita neque alieno nomine, id est, nec per alium pro me, nec pro alio committere licebit. Hinc.

3. *Ponitur verus illius sensus.* — Resp. II. Verus sensus regulæ sequens est : « Quid quis prohibente jure divino, naturali, aut humano licite facere non potest suo nomine, id nec alieno nomine, id est, nec per alium pro se, nec in propria persona pro alio licite facere poterit. » Ratio est, tum quia, cum quis regulariter in quovis negotio ad agendum pro se, et ad se aliquo modo pertinentibus facilius admittatur, quam pro aliis, arg. can. Prohibetur, 14, cau. 2, q. 1. Consequens est, quod si quis suo nomine quid agere prohibetur, multo magis id alieno nomine agere prohibitus esse censeatur ; tum quia, si quod non licet proprio nomine, liceret alieno, admitteretur aliquid una via, quod alia via prohibetur contra reg. 84, de Reg. jur., in 6, ibi : « Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia via non debet admitti. »

4. *Declaratur exemplis juris.* Clerico non licet exercere fœnus proprio, vel alio nomine. — Declaratur, et firmatur regula ulterius exemplis juris ; et quidem, abstrahendo a prohibitis jure divino, et naturali, de quibus aliquantulum dictum est n. 2, ut per se patet, loquendo de prohibitis jure humano. Sicut clerico non licet nomine suo exercere fœnus, sic idem ei non licet nomine alieno, cit. can. Sicut non suo, 10, dist. 46, ibi : « Sicut non suo, ita nec alieno nomine aliquis clericorum exercere fœnus attentet. Indecens est enim crimen suum commodis alienis impendere. »

5. *Nec alicui excommunicato stare in judicio.* — Sic pariter, quia excommunicato non licet proprio nomine agere in judicio, c. Intelleximus, 7, de Judiciis, cum concord. sic etiam alieno, seu procuratorio nomine agere prohibetur c. Post cessionem, 7, de Probat., ibi : « Cum igitur per litteras judicis ordinarii (quibus standum est, donec probetur contrarium) nobis confiterit ; quod N. excommunicatus erat, cum procuratoris officium assumpsit ; ipsum tanquam procuratorem non duximus admittendum. »

6. *Nec falsificare litteras apostolicas suo, vel alieno nomine.* — Sic rursus sicut non licet suo nomine litteras apostolicas falsificare, ita nec alieno licet : « Nos enim, ait Papa c. Ad falsariorum, 7, de crimine falsi omnes falsa-

rios litterarum nostrarum, qui per se, vel alios vitium falsitatis exercent, anathematis vinculo decernimus innodatos. » Sic etiam uti proprio, ita et alieno nomine album prætoris corrumpere illicitum est, l. Si quis, 7, ff. de Jurisd., etc. Sic plurima alia in jure habentur exempla ; ex quibus.

7. *Fallit regula in casibus, ubi in propria, et aliena persona non est eadem prohibitionis ratio.* — Quæritur II. An et quas fallentias patiat hæc regula? Resp. eam universaliter fallere tunc, quando ratio prohibitionis in mea persona existens cessat, seu non reperitur in aliena, eique non obstat. Ita doctores communiter. Sic enim, etsi mihi non liceat contrahere matrimonium cum mea consanguinea, c. Non debet, 8, de Consanguin. et affinit., possum tamen cum ea nomine alieno, seu pro alio non consanguineo vel affine ut procurator ipsius contrahere, c. Ex parte, 14, de Restit. spoliat. et c. fin. de Procurat. in 6, quia ratio prohibitionis, consanguinitas nempe quæ in mea persona est, non repetitur in alia.

8. *Declaratur hoc exemplis juris.* — Sic etiam, quamvis filiusfamilias sine consensu patris, quantum ad temporalia regulariter, loquendo, non possit agere in judicio, c. 3, de Judiciis, in 6, tamen nomine alieno, seu pro alio agere potest, c. Qui generaliter, 5, de Procurat. in 6, ibi : « Ne dum vero ad negotia, sed etiam ad judicia potest filiusfamilias absque patris assensu fieri procurator ; » quia ratio prohibitionis, ne filiusfamilias juvenili sua imprudentia sibi, vel patri circa temporalia noceat, cessat in alieno negotio, in quo ut procurator nec sibi, nec patri præjudicat ; cum judex non contra procuratorem, sed contra principalem proferat sententiam, et hic sibi imputare debeat, quod sciens talem constituerit procuratorem. Dynus hic, n. 2.

9. Sic ulterius, quamvis per fundum alienum, in quo jus servitutis non habeo, nomine meo ire, vel jumentum agere non valeam : tamen, id mihi licebit facere nomine alieno jus servitutis in præfato fundo habentis l. Si stipulatus, 114, ff. de Verb. oblig., quia ratio, quæ me prohibet, alium non prohibet, qui jus servitutis in fundo habet, quo jure per se, vel per alium uti potest juxta regulam statim sequentem : « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum. »

10. Sic rursus, etsi episcopo non liceat suo nomine alienos diocesanos ordinare : tamen

id ei licet ex commissione, et nomine Papæ, vel ordinarii loci, c. 1, *de Tempor. ordinat.*, in 6, quia ratio prohibitionis, carentia nempe jurisdictionis in alienos subditos, cessat in ordinario loci, cujus nomine et commissione episcopus alienus ordinat. Sic pariter, licet munere et potestate carens, judicare aliquem nomine suo non valeat, nomine tamen alieno, causam et jurisdictionem delegante de causa sibi commissa cognoscere, judicare, et sententiare potest, integro tit. ff. *de Officio et potest. judicis delegati*.

REGULA LXVIII.

POTEST QUIS PER ALIUM, QUOD POTEST FACERE PER SEIPSUM.

1. *Regula unde?* — Hæc regula juxta Glossam hic desumitur ex l. *Quod jussu*. 180, ff. *de Reg. jur.* ibi: « Quod jussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset. » et l. 1, § 12, ff. *de Vi et vi armata*, quibus affinis etiam est reg. 72, *de Reg. jur.* in 6. « Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum. »

2. *Quomodo intelligenda?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam id velle dicere; quod, cum in commercio humano plurimæ sint causæ, actus, et negotia, quæ quis ipsemet in persona agere, aut tractare, vel impeditus non potest, vel ex quacunque causa non vult, possit alterius, ad rem idonei, ac debite qualificati opera et auxilio uti, et per eum tam in, quam extra judicium facere, quod ipsemet licite, ac legitime facere potest, hic et nunc autem ex causa sibi nota facere non vult, vel impeditus non potest. Quæ regula potissimum delegatos, substitutos, procuratores, ministros, et officiales concernit, per quos causas et negotia sua principales agunt, ac pertractant. Hinc

3. *Ponitur verus sensus illius.* — Resp. II. Verus regulæ sensus hic est: « Qui aliquid, v. g. contractum actum, negotium, causam, etc. per seipsum valide, et licite facere, vel tractare potest, valet id ipsum etiam per alium ad hoc idoneum, et debite qualificatum valide et licite facere. » Ratio regulæ est, quia, cum juxta jam dicta hominum negotia plurima, et varia sint, quæ quantumvis ad se spectantia quivis per seipsum peragere sæpe non potest, utpote vel aliis

magis urgentibus, vel infirmitate, vel necessaria absentia, aut alia ratione impeditus: vel quia ex causa sibi nota peragere non vult: vel quia actus, labor, aut negotium per seipsum agere ejus personæ non congruit, maximum non raro quis pateretur in rebus suis damnum et præjudicium, si per alium facere non posset, quod ipse quidem, absolute loquendo, per seipsum agere valet, hic et nunc tamen impeditus vel non potest, vel ex causa non vult peragere. Ob quam etiam rationem procuratorum, et similibus hominum, aliena negotia agentium, usus ab ipso Jure omnino necessarius agnoscitur l. 1, § 2, ff. *de Procurat.* ibi: « Usus autem procuratoris per quam necessarius est, ut qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, per alios possint vel conveniri. » Quod ipsum etiam utilissimum, et maxime commodum ideo merito reputatur, quia juxta dispositionem juris quod quis facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum, cit. reg. 72, *de Reg. jur.* in 6.

4. *Alius, per quem quis agit, debet ad id esse debite qualificatus.* — Dicitur autem notanter: « per alium ad hoc idoneum, etc. » Id est, necessaria ad id scientia, potestate, ordine, aliaque requisita qualitate præditum; enimvero ubi hoc non est, utique regula non procedit. arg. can. fin. can. 5, q. 3. Hinc licet episcopus uti per se, ita et per alium episcopum ordinare suos subditos possit, non tamen id potest per simplicem sacerdotem, cum hic ad id non sit idoneus, utpote carens potestate ordinandi.

5. *Declaratur regula exemplis.* — Exempli juris regulam declarantia, et confirmantia fere innumera existunt, ac cuivis vel obiter consideranti facile patent; nam ut statim ad hominem exemplificat Dynus hic, n. 1. Sicut possum per me ipsum emere, vendere, locare, litigare, dare eleemosynam, acceptare beneficium: ita idem possum facere per alium, arg. cit. l. 1, § *Usus*, 2, ff. *de Procurator.* et l. *Sed si unius*, 17, § 19 et 20, ff. *de Injur. et famos. libell.*, cum concord.

6. *Sunt plura, quæ per alios fieri debent. Nobiles non per se, sed per procuratores litigare debent.* — Quin immo sunt plura, quæ licet per seipsas certæ personæ ob dignitatis statum, defectum virium, scientiæ, ætatis, vel ob delictum, aut aliam inhabilitatem facere non possint, per alios tamen ea facere valent et debent. Sic personæ nobiles, ac illustres non per seipsas, sed per procuratores in ju-

icio litigare debent, l. *Quicumque*. 25, pr. C. *de Procurat.* ibi: « Quicumque prætorianæ vel urbanæ præfecturæ sublime fastigium, vel magisterium militare, vel consistorianæ comitivæ insignia meruerit dignitatis, vel proconsulare jus dixerit, aut vicarii fuerit administratione suffultus, si quod ab eo infertur jurgium, vel refertur, procuratoris personam in negotii sui jura substituatur. » Sic etiam pupilli, mente capti, et alii hujusmodi ex natura inhabiles, non per seipsos, sed per alios in judicio litigant. arg. c. *Pastoralis*, 14, in fin. *de Judiciis*, ubi indiscretæ, id est, carentes debita discretione appellantur ejusmodi personæ. Sic etiam, etsi propter delictum excommunicatus per se in judicio stare non possit, conventus tamen potest, et debet per alium respondere, c. *Intelleximus*. 7, *de Judiciis*, ibi: « Quia postulasti a nobis, utrum excommunicatus in judicio stare possit; respondemus, quod conveniri potest, et debet per alium respondere in judicio, ne videatur de sua malitia commodum reportare. »

7. *Idem est de episcopis et sacerdotibus.* — Sic episcopi, et alii sacerdotes non per seipsos, sed per advocatum, vel procuratorem litigare in judicio debent. can. fin. cau. 5, q. 3, ibi: « Quia episcopus universique sacerdotes ad solam laudem Dei, honorumque operum actiones constituuntur, debet unusquisque eorum tam pro ecclesiasticis, quam etiam pro suis actionibus (excepto publico videlicet crimine) habere advocatum non malæ famæ suspectum, sed bonæ opinionis, et laudabilis artis inventum. » Sic iidem episcopi, prælati et clerici habentes aliam jurisdictionem de causa sanguinis non per se, sed per alios cognoscere, ac judicare possunt et debent c. fin. *Ne clerici, vel monachi*. in 6, ibi: « Nam licet clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum jurisdictionem obtinent temporalem) debent et possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare. »

8. *Fallit regula primo, quando adest industria personæ.* — Quæritur II. An et quas fallentias habeat regula præsens? Resp. eam fallere in pluribus veluti primo quando ad negotium aliquod, vel causam expediendam specialiter electa est industria et fides certæ personæ; hæc enim non nisi per seipsam; minime vero per aliam negotium expedire potest c. fin. § *Is autem, de Offic. jud. deleg.* ibi: « Præterquam si inquisitionem fieri, vel

Ecclesiæ de prælati, vel aliis ministris prævideri mandaremus: cum in his omnibus casibus industriam, et fidem personæ, cui talia committimus, eligere videamur. » Concordat c. *Is cui*. 12, eod. in 6, et l. un. § 9, C. *de Caducis tollend.*

9. *Fallit secundo in iis, quæ natura sua, vel dispositione juris per alios fieri nequeunt.* — Fallit secundo in iis, quæ ex ipsa natura, et institutione sua, vel speciali juris dispositione factum propriæ personæ requirunt, uti sunt residentia episcoporum, parochorum, et canonicorum, c. *Quia nonnulli*, 3, *de Cleric. resident.* ibi: « Cum igitur ecclesia, vel ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quærat, quæ residere in loco, et curam ejus per seipsam valeat exercere, » juncto concil. Trident. sess. 23, cap. 1, *de Reform.* et sess. 24, cap. XII, eod. ubi specialiter de necessaria residentia personali: item et de officio divino recitando, ac de pœnitentia peragenda; hæc enim ex natura sua non per alium, sed per seipsum pœnitens exequi debet, et corporali præsentia sunt peccata confitenda, can. *Quem pœnitet*. 88, dist. 1, *de Pœnitent.* Idem dic de susceptione aliorum sacramentorum, excepto matrimonio, utpote quod per alium contrahi potest. c. fin. *de Procurat.*

10. *Uti in specie sunt testamenta, nisi ad plures causas fiant.* — Idem ex natura et institutione sua, jurisque dispositione requirit confectio testamenti, et hæredis institutio, utpote quam testator per seipsum facere debet, et alterius arbitrio, seu dispositioni committere non valet. l. *Illa institutio*. 32, ff. *de Hæred. instit.* ibi: « Illa institutio ideo vitiosa est, quia alieno arbitrio permissa est: nam satis constanter veteres decreverunt, testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere. » Nec objicias c. *Cum tibi*, 13, *de Testament.*, cujus textus videtur contrarius textui primum citato, ibi: « In secunda quæstione diximus, quod, qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus. » Resp. enim cum Gloss. in cit. *Cum tibi*, §. *Dispositionem*, quod etsi de benignitate canonica videatur non decedere intestatus, qui ultimam voluntatem alterius dispositioni committit, tamen revera testatus non decedat; cum prorsus nullum sit testamentum, ubi hæres per scripturam, vel vocem ipsius testatoris non est expressus, textu claro l. *Ju-*

bemus. 29. *C. de Testam.* ibi: « Quod si non fuerit observatum, et nomen hæredis, vel hæredum non fuerit manu testatoris scriptum, vel voce coram testibus nuncupatum, hoc testamentum stare minime patimur, » cum concord. Vel dic cum Innocent. Panormit. Viviano in cit. cap. et pluribus aliis, textum loqui de testamentis ad pias causas; cujusmodi testamentum quis alterius dispositioni committere, et dicere potest: Committo tibi, ut post mortem omnia mea bona pauperibus, ecclesiis, monasteriis, vel aliis piis causis pro tuo arbitrio distribuas. Quod etiam summarium capituli habet illis verbis: « Tenet testamentum, si quis extremam voluntatem suam alterius dispositioni committit, et dicitur testatus ad pias causas secundum intellectum notabiliorum. » Ratio illorum est, quia testamentum ad pias causas etiam aliis solemnitatibus civilibus carens valet; dummodo constet de voluntate testatoris. c. fin. *de Success. ab intest.*, cum concord. Et inhærendo huic sententiæ, quæ omnino probabilis est, tamen manet fallentia regulæ in testamentis ad causas profanas: quam fallentiam jura quoque specialiter de adoptione, et arrogatione statuere l. *Post mortem* 25, § 1, ff. *de Adopt.* ibi: « Neque adoptare, neque arrogare quis absens, neque per alium hujusmodi solemnitatem peragere potest. »

11. *Fallit tertio, quando nudum ministerium sine jurisdictione committitur.* — Fallit tertio, quando alicui nudum ministerium, seu executio sine jurisdictione specialiter committitur, v. g. injunctio pœnitentiæ, dispensatio in irregularitate, excommunicatio, vel absolutio ab eadem, prædicatio crucis, etc. hæc siquidem delegatus (excepto Sedis apostolicæ legato) per alium præstare nequit, textu claro c. fin. § *Cæterum de Offic. deleg.* ibi: « Cæterum (salva legatorum Sedis apostolicæ auctoritate) nulli, cui commissum fuerit prædicare crucem, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel injungere pœnitentias, liceat hæc de cætero aliis demandare; quia non sibi jurisdictio, sed certum ministerium potius committitur in hac parte. »

12. *Fallit quarto, quando aliter inter partes conventum est.* — Fallit quarto quando inter partes specialiter conventum est, ut non per alium, sed per seipsum res fiat: uti et in casibus, ubi ex speciali loci consuetudine, aut statuto, vel testatoris voluntate, excluso

alieno, personale ministerium specialiter requiritur Tusch. l. f. concl. 7; Fachinæ, lib. I. *Controv.* cap. xxiv; Strein. et Canis. hic. n. fin.

REGULA LXIX.

IN MALIS PROMISSIS FIDEM NON EXPEDIT OBSERVARI.

1. *Regula unde?* — Hæc regula censetur ex parte desumpta ex can. *In malis*, 5, cau. 22, q. 4, ibi: « In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum: quod incaute vovisti, ne facias. Impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur. » Et l. *Filius*, 15, ff. *de Condit. instit.* ibi: « Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, » cui concordat regula 58, *de Reg. jur.* in 6. « Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. »

2. *Mala promissa in duplici sensu accipiuntur.* — Quæritur, quomodo hæc regula intelligenda et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem notandum cum Glossa hic, Dyno, Viviano, et aliis, verba regulæ, « In malis promissis, » dupliciter posse intelligi, uno videlicet modo, ut significant rem malam turpem, peccaminosam, quæ promittitur, v. g. homicidium, furtum, adulterium, simoniam, etc., quæ si quis promittit, utique nec expedit, nec licet fidem servare. Altero modo, prout indicant male promissa, seu male concepta, malitia se habente non ex parte promittentis, nec ex parte rei promissa, sed promissarii duntaxat, qualia censentur illa promissa, quæ ex dolo, metu injuste incusso, a promittente extorquentur, vel alias contra juris præscriptum obtinentur.

3. *In quo regula loquatur, est controversia.* — De quo autem modo regula loquatur, et intelligenda sit, plene non conveniunt doctores; Strein enim cum Barbosa hic, et aliis vult, eam intelligi debere de malis promissis in secundo sensu acceptis, tum quia si in primo sensu intelligeretur, non differret a regula 58, sed in ea jam continetur, sicque superflua videretur; quod de Papa regulas condente præsumendum non est. Hoc ipso enim, quod promissam malam in primo sensu, seu de re mala, turpi, peccaminosa

factum, etiam juramento firmatum observandum non sit, necessario sequitur, multo minus observandum esse nudum, seu simplex promissum sine juramento de hujusmodi re mala factum; tum quia, cum Papa in hac regula utatur termino « non expedit » servare fidem, et non dicat, « non licet » servare fidem, seu « non potest » servari fides: non videtur regula intelligenda de malis promissis in primo sensu, utpote quæ servare non tantum non expedit, sed prohibitum, ac illicitum, sicque in sensu juris etiam impossibile est, sed de malis, seu potius male promissis in secundo sensu, utpote quibus proprie competit terminus « non expedit; » cum etsi ex parte promittentis licite servari valeant, ea tamen servare non expediat juxta dicenda infra. Ita in re præfati Doctores, nec absque fundamento. Alii e contra eum Taccino hic docent, præmissa verba, « In malis promissis » intelligenda duntaxat esse in primo sensu. Sed

4. *Verisimilius de utroque sensu loquitur.* — Resp. I, regulam intelligendam esse de malis promissis in utroque sensu acceptis. Sic sentire satis clare apparet Glossa, Dynus Vivianus, quos immerito pro se allegant alii; hoc ipso enim, quod pro declaranda regula adducant exempla juris de malis promissis in utroque sensu sumptis, in utroque sensu regulam intelligi volunt. Dynus siquidem hic, n. 4, cum Glossa sic exemplificat: « Si promitto tibi occidere hominem, committere furtum, simoniam, vel quid aliud turpe, non expedit servari fidem. » Ecce exemplum de malis promissis in primo sensu. Dein ulterius dicit: Si interveniente dolo, vel metu sit promissum, seu male promittitur, tunc licet promissum teneat de juris rigore, non expedit tamen fidem servare; quia promissori datur exceptio l. *Si quis cum aliter*, 36, ff. *de Verb. oblig.* En exemplum de malis promissis in secundo sensu.

5. *Satisfit fundamentis contrariis.* — Nec obstat responsioni ratio a Barbosa, et Strein. allata, quasi regula de malis promissis, in primo sensu acceptis, videatur superflua, utpote jam contenta in regula 58. Nam contra est, quod præsens regula plus dicat, quam 58, hæc etenim, spectando verba illius, solum dicit, « Non est obligatorium » contra bonos mores præstitum juramentum, vel promissum: præsens vero regula non solum vult et dicit, « Non esse obligatorium, » sed « nec expedit: » qui terminus in duplici sensu

sumi potest, ita, ut idem significet, ac, non est consultum: vel non est licitum: sicque loquendo de promissa re turpi ly *non expedit*, idem sit ac, non licet servare promissum contra bonos mores, id est, de turpi, vel peccaminosa re factum, cit. can. *In malis*, 5, cau. 22, q. 2, ibi: « Impia est enim promissio, quæ scelere adimpletur. » Nam, ut bene advertit hic Peck. Regula per verbum, *non expedit*, idem vult dicere, ac *non licet* servare fidem in promissis contra bonos mores, seu de re mala et peccaminosa factis. Per quod patet etiam ad alteram rationem ex verbis *non expedit*, desumptum. Hinc

6. *Ponitur versus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « In promissis malis, quæ contra bonos mores, aut de re mala, seu peccaminosa fiunt, non tantum nulla est obligatio servandi fidem, sed nec licet servare fidem. In illis vero malis, seu male promissis, quæ ex parte promissis non contra bonos mores, ex parte promissarii tamen male, dolo, v. g. metu injuste incusso extorta, vel malitiose obtenta sunt, quamvis fidem servare liceat, et valeat, tamen non expedit, nec conducit eam observare. » Ratio regulæ quoad primam partem de promissis contra bonos mores, quod non obligent, patet ex dictis ad cit. regulam 58, n. 2. Et quod etiam non liceant, constat ex cit. can. *In malis promissis*, 5, cau. 22, q. 2. « Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. »

7. *Promissa, fraude, vel dolo, aut metu injuste incusso extorta, nec obligant, nec ea servare expedit.* — Quoad secundam vero regulæ partem de aliis malis, seu male promissis, quod, etsi in iis fidem servare liceat, et valeat, tamen non expediat, nec conducit, ratio est, quia etiam in his fidem servare tam promissori, quam promissario, et reipublicæ præjudiciosum, consequenter nulli expediens est: Non promissori, quia servans in his fidem, ex aliena fraude et malitia, rerum suarum promissarum jacturam, seu præjudicium patitur: Non promissario, quia accipiendo, et retinendo promissa, dolo malo, vel injusto metu extorta, lædit conscientiam, agitque contra regulam, quod fraus et dolus nulli patrocinari debeat: Non reipublicæ; quia hujus interest, ne fraudes et malitiæ hominum foveantur, neve ex fraude, dolo, injuria, et malitia innocens præjudicium, et damnum, iniquus vero lucrum reportet contra primum citatas regulas. Hinc licet hujusmodi ex dolo, vel alia malitia, facta mala